

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo; & cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurii. Matth. 4. 1. 2.

Multiplex acceptio vocis istius *Tentatio*... Gratia quotidianam adjutorium ad tentationes vincendas necessarium... (*Lib. 5. Cap. 2. Art. 9. N. 1. & 2.*) Quo sensu Deo supplicamus ne nos inducat in tentationem? (*Ibidem, n. 3.*) Nullus hostis metuendus extrinsecus, si nos ipsos intus vincamus. (*Ibid.*) Deum oramus ne gratiam suam nobis subtrahat; ne tentatione vinci nos permittat. (*Ibid. n. 4.*) Ad hanc preceationem frequentandam humana fragilitas nos invitat. (*Ibid. n. 5.*) Diabolus cupiditatibus nostris utitur ut cor expugnet. (*Ibid.*) Triplex tentatio, quam Christus in deserto sustinuit, ut nobis vicendi vires, vincendi formam tribueret. (*Ibid. n. 6.*) Duo sunt quæ homines in peccata illiciunt, voluptas & dolor. (*Ibid.*) Hostis nostri, seu diaboli tentatoris nequitia. (*Ibid. n. 7.*) Cur diabolus non ita tentet impios? (*Ibid.*) Periculosiores tentationes, quibus occultè & per cuniculos corda piorum pulsar (*n. 8.*) Diabolus minus perfectos de levioribus peccatis tentat, ut sensim ad graviora pertrahat. (*Ibid.*) Toleranda, non amanda tentatio... Tentationes utiles excitandæ vigilantia, domandæ superbia. (*Ibid. n. 9.*) Tentationibus resistendum... Christus diabolum nobis vicit... Diabolus cor nostrum non expugnat, nisi voluerimus. (*Ibid.*) Tentationes spectari possunt triplici respectu, vel ex parte Dei qui nos tentari permittit: vel ex parte diaboli qui tentationes inmittit; vel ex parte cordis nostri, quod tentatio-

PARS II. DOM. I. QUADRAGES. 199

nes patitur. Ex parte Dei si spectentur, utiles nobis sunt. Ex parte diaboli si considerentur, omnes periculosa sunt. Ex parte cordis nostri, quandoque utiles, quandoque noxia sunt, prout illis resistimus, vel consentimus. Satan & propter crudelitatem leo dicitur, & propter multiformis astutia varietatem non incongrue tygris vocatur. Modò enim, sicut est perditus, humanis sensibus objicit, modò quasi angelum lucis ostendit. Modò stultorum mentibus blandiendo persuadet, modò ad culpam terrendo pertrahit. Modò suadere vitia aperte nititur, modò suis in suggestionibus sub virtutis specie palliatur. Hæc itaque bellua quæ tanta varietate respicitur, jure tygris vocatur. Quæ apud LXX Interpretes myrmicoleon dicitur: quod videlicet animal absconsum pulvere, formicas frumenta gestantes interficit; quia nimirum apostata angelus in terram de cælis projectus, justorum mentes, quæ bonorum sibi operum refectionem præparant, in ipso actionis itinere obsidet: *Cumque eas per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improvvisus necat.* Rectè autem myrmicoleon, id est, leo & formica dicitur: formicis enim leo est, volatilibus formica: quia nimirum *Antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis.* Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur, quasi formica atteritur. Alius ergo leo est, alius formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.

De diaboli artibus, & de modo ipsum vincendi, præclare S. Cyprianus libro *De Unitate Ecclesie Catholice* scribit: *Plus metuendus est & cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, unde & nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia; ea est circumveniendi hominis cæca & latebroso fallacia: sic ab*

iniis statim mundi sefellis, & verbis fallentibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decipit: sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus & falleret, latenter accessit, intellectus tamen est & reclusus, & ideo prostratus, quia agnitus atque detectus. Unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi vincendum insistere; ne denuo incautus in mortis laqueum revolvarer, sed ad periculum autem accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possimus, nisi ea quibus mors expugnatur & vincitur, Christi mandata ser-
 venimus?

T. Livius lib.
27. distor.

Cum Romani ab Annibale victi essent, Marcellus belli Dux concionem adeo vehementem apud Milites habuit, ut praelio per diem totam infelicitate tolerato, tristior iis irati Ducis oratio esset. Clamor inde ortus, ut veniam ejus diei daret; ubi vellet deinde experiretur Militum suorum animos. *Ego vero experiar*, (inquit) *Milites: & vos crastina die in aciem eandem, ut victores potius quam victi veniam impetretis, quam petitis.* Multoties à diabolo victi, Christum Ducem nostrum ad iram provocavimus. Veniam postulamus ignaviae ac infidelitatis nostrae. Annuit misericors Redemptor, sed ea conditione ut hostem vincamus, ut videlicet ignoscat & gratiam faciat. Ideo nos denuo tentari permittit, ut contra diabolum fortius pugnemus, illumque vincendo, veniam praeteriti temporis obineamus.

IN EADEM DOMINICA.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo; & cum jejunasset, &c.

Hodie Praecones pacis Christo jubentebellum denuntiant, omnesque Christianos, sine ullo sexus, aetatis, aut conditionis discrimine sub ejus vexillo con-

gregant, contra diabolum communem hostem pugnatos. *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate caetum, congregate populum.* Christus locum certaminis adversus daemone[m] à se committendi eligit Palaestinae desertum. Arma ad pugnandum eligit validissima, jejunium & verbum Dei: Victoriam de hoste reportat plenam omnique ex parte absolutam. Verum & nos exemplo suo ad pugnandum & vincendum provocat & accendit Dominus noster. *Hodie Christus Rex noster committiones suas de Evangelico allocutus est Tribunali, inaxit hostibus bella, promisit praemia pugnaturis, inimicorum dolo prodidit & conatus, ubi, & quando, & quomodo confugiendum sit, nobis triumphali constitutione signavit.* Ex loco, ex tempore, ex modo certaminis, seu armorum delectu & usu, pender plurimum victoria. Christus nobis designat ubi pugnandum sit; quando pugnandum; quibus armis, & quomodo pugnandum adversus daemone[m]. Ubi? In solitudine.

S. Petrus
Christi signata

Quando? Toto vitæ tempore, quæ militia est super terram. Quibus armis? Jejunio & abstinentia. Et quia sacrum Quadragesimæ tempus spiritualibus praeliis maxime destinatum est, sanctificanda est Quadragesima solitudinis Christianæ amore, accuratâ jejunii observantiâ, cautiore vigilantia, fortiorique resistentiâ tentationibus daemone[m].

I. Mundi societates periculose semper innocentiae & salutis. Abrahami virtus apud Chaldaeos tuta non erat; ideo iussit illi Deus ut hinc quantocumque egrederetur. Periculata est simplicitas Isaac in societate Ismaelitis. Loth Sodomis periisset, nisi ipsum inde abstraxisset ac eduxisset Angelus. Dinæ filiae Jacob exitiale fuit in publicum proditum. Parum absuit ne periret Rex Josaphat inito foedere cum impio Joram Rege Israël. Zorobabel, alique Judaici populi proceres, Templum Dei cum idololatriæ edificare prudenter recusarunt. Tobias in captivitate constitutus fugiebat consortia impiorum, ne per-

Feb. 7. 11

verteretur, & contaminaretur. David solitudinem optaret, sæculique fugam meditatur. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Spiritus Sanctus jubet ut fugiamus de medio Babylonis, si qua nobis de salute animarum nostrarum cura est. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Qui frequentat iniquorum hominum societates, vix ab ipsis non pervertetur. Quot in civitatibus peccati illecebræ, & concupiscentiæ irritamenta? *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia: & non defecit de plateis ejus usura & dolus... Totus mundus in maligno positus est. Et, *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: qua non est ex Patre, sed ex mundo est.* Ibi Malitia plurimum, sapientia modicum, ibi viscosa omnia, omnia lubrica, operata tenebris, & obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur anima, ubi tantum, vanitas, & afflictio spiritus est. Solitudo igitur locus valde opportunus est ad pugnandum contra diabolum. Christi sepulchro similis est solitudo, quod mortuum suscepit & vivum peperit (inquit S. Basilus.) *Domini sepultura propemodum amula, qua peccato mortuos suscipit, & per assilatum Sancti Spiritus Deo reviviscere facit.* Solitudo terribile malignis spiritibus habitaculum. Ibi Christianus homo se ipso superior fit, & Deo conjugitur. *Sedebit solitarius, & tacet: quia levavit se super se.* Ibi Deus loquens ad cor, munni illud & roborat adversus diaboli suggestiones. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Si gravissimas in via salutis difficultates experiuntur, magnaque impedimenta inveniunt etiam viri sancti, qui in solitudine & secessu vivunt; si ex mundi commercio sordes contrahunt & vulnera recipiunt, etiam illi non frequentent nisi necessitate compellente, aut carita-

Psal. 14. 1.

Jerem. 1. 6.

Psal. 99. 10. 11.

1. Joan. 5. 19.

2. Joan. 2. 16.
S. Bernard.
Serm. 1. de
Assens.S. Basilii de
Laudibus
Eremit.

Thom. 2. 11.

Osai 2. 14.

te invitante: quam periculosi sunt lapsus, quam gravia vulnera hominum carnalium & mundanorum, qui tentationibus sponte se exponunt, & societates voluptarias omni tempore, etiam quadragesimali festantur: *Su-
per humum populi mei spina & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis?*

Isai. 17. 11.

II. Jejunii & abstinentiæ armis, exemplo Christi, adversus diabolum pugnandum est. Si adversus hostes corpore & carne constantes, nobis pugnandum est, roboranda essent corpora nostra, non debilitanda, ut ipsos vinceremus: verum cum adversus spiritus nequam militare debeamus, debilitandum est corpus, roborandum verò spiritus ad præliam fortiter sustinendum. In hac enim militia, *Cum infirmor, tunc potens sum.* Saül Rex contra Philistæos pugnaturus Exercitium suum jejunio præparavit ad pugnam. Jonathas violato jejunio in extremum periculum incurrit. Philistæi cæsi sunt ab Israëlitis jejunis. Idem in bellis spiritualibus evenit. *Ceciderunt passos impassi, armatos inermes. Ha erunt vires jejunantium Deo. Calum pro ejusmodi militat. Habes formam præsidii etiam spiritualibus bellis necessariam...* De jejunii utilitate, vide Lib. 4. Cap. 5. Art. 5. §. 1. n. 3. Jejunii quadragesimalis rationes. (*Ibid. §. 2. n. 6. versus finem.*) Quæ ex SS. Patribus explicantur. (§. 3.) Jejunii meritum perdit, qui ciborum ac liquorum delicias, & varia gulæ irritamenta jejunii diebus exquirunt, copiosiusque prandent ac lautius, ut jejunii laborem minuant. (*Art. 7. Regulæ 15.*) Christianum jejunium abstinentia ab omni voluptate etiam licitâ, à venationibus, ludis, jocis, convivii commendare debet; (*Regulæ 16.*) Christianum verè Deoque gratum jejunium non est, quod abstinentia ab omni peccato mortali, & exercitio in omni virtutum genere non commendat. (*Ibid. Regulæ 17.*) Eleemosyna Christiani jejunii comes esse debet, ut pauperibus ero-

Tertullian.
l. 6. de jeju-
niis, Cap. 7.

terur, quod in sumptus secundæ refectionis impenderetur. (*Ibid Regula 18.*) Nullus est meriti jejunium, si Christianus jejunans injurias non dimittit. (*Ibid Regula 19.*) Jejunium lorica est, quæ animam protegitur. *Operi in jejuniis animam meam.* Bonum operimentum (ait S. Ambrosius) quod animam tegit ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur. Gula nudos facit, jejunia operiunt etiam exutos.

III. Tota vitæ pugnam est, quia hostem habemus qui nunquam quiescit, victus certamen repetit: suspecta piis esse debent illius induciæ: pax cum illo nusquam habenda est: donec à tentatione Deus nos eripuerit, & glorificaverit, in æterna pace constituens, bellum nobis sustinendum est. *Sic curro* (inquit S. Paulus) *non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum. . . Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Athletæ sumus, legitime certandum est.

S. Ambrosius
lib. de Elia
& Jejunio
cap. 21.

1. Cor. 9.
Multa luctamina sunt: & qui hodie victus est, cras se reparat. Ante ad bravium contenditur, postea ad coronam. Numquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exeretur quotidie, ungitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subseripsisti ad competitionem coronæ: meditare, exercere, ungere oleo lætitiæ. Cibus tuus, cibus sobrietatis sit, nihil habeat inreperantæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat: custodi corporis castimonia, ut possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua offendat spectatoris affectum, ne te fautores tui negligentem videant, & desistant. Spectant te Archangeli, & Potestates, & Dominationes, & illa Angelorum decem millia decem millium. Sub tantis spectatoribus erubescere, considera quam decorum sit. *Confortamini in Domino, & in potentia vir-*

204. 6.

utis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi reitores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. . . . State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loriceam justitiæ, & calceati pedes in preparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extingueri: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipsa vigilantes. Sic enim præcepit Christus: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.

FERIA II. POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

Tunc dicit Rex his qui à dextris erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. . . . Tunc dicit & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Matth. 25.

Qui spectacula amatis, ad universale spectaculum concurrite, quod nobis hodiernum Evangelium repræsentat. Quale spectaculum jam in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam

Tertull.
Lib. de Spe
Senti.
Cap. ult.

triumphantis? Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reurgentium sanctorum? quale Regnum exinde iustorum? qualis civitas nova Jerusalem? At enim supra perunt alia spectacula, ille ultimus & perpetuus iudicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi venustas, & tor ejus nativitates uno igne hauriantur. Quæ tunc spectaculi latitudo? Quid admirer, quid rideam, ubi gaudeam? Ubi exultem, tot spectans Reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, cum ipso Jove, & ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes? Item Præsides persecutores Dominici nominis, sævioribus quam ipsi contra Christianos sævirent flammis insultantibus liquecentes: prætece sapientes illos Philosophos coram Discipulis suis unâ constagrantibus erubescences, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus Animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant; etiam Poëtas non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpantes. Tunc magis Tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate. Ad eos conspectum insatiabilem conferre malum, qui in Dominum desævierunt. Hic est ille (dicam) fabrici filius, Sabbati destructor, Samarites, & demonium habens. Hic est quem à Juda redemistis; hic est ille arundine & colaphis diverberatus, sputamentis decoratus, felle & aceto potatus. Hic est quem Discipuli clam subriperunt, ut resurrexisset dicatur. . . Veniet Filius hominis, non ut pridem in infirmitate sed in Majestate sua: Veniet Angelorum suorum satellitio stipatus ut Rex gloriæ, Dominus Deus exercituum, Rex universæ creaturæ; veniet iudicaturus qui venit olim iudicandus: *Et tunc sedebit super sedem Majestatis suæ.* Veniet Deus ultionum, omnes homines qui olim fuerunt, sunt, & futuri sunt, ad tribunal suum vocabit, nemine excepto. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Nunc permixti sunt boni cum malis, iusti cum im-

piis, prædestinati cum reprobis; oves cum hædis, tametsi noverit Dominus qui sunt ejus: *Tunc separabis eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis.* In hoc sæculo sæpe iusti despiciuntur, irridentur, opprobriis afficiuntur, vexantur: contra verò mali sæpe honoribus & dignitatibus fulgent, divitiis affluunt, rebus prosperis fruuntur. Tunc vice versa facti velut oves innocentes à dextris Christi Jesu cum honore collocabuntur; improbi velut hirci fœditi à sinistris ejus cum opprobrio stantur. *Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* Quis cogitabit diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum? *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit.* Qui venit occultus, veniet manifestus: venit occultus ut ante iudicem stare, veniet manifestus ut etiam de iudicibus iudicet. *Veniet Deus noster, & non silebit.* An modò silet? Unde ergo præcepta, monita, tuba terroris? Non silet, & silet: *Non silet à monendo, silet à vindicando: non silet à præcepto, silet à iudicio.* Patitur enim peccatores quotidie mala facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in cælo, non in terra: non cum latent hæc omnia, & universali ter omnes admonet, & quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo à iudicio, occultus in cælo est, adhuc interpellans pro nobis: patiens est super peccatores, non exercens iram, sed expectans Penitentiam. *Taceui, inquit, numquid semper tacebo?* Non tacebit cum manifestè veniet. *Ignis ante ipsum præcedet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Timemus? Mutemur, & non timebimus. Ignem palea timeat: auro quid facit? Nec malè vivendum erat, fratres carissimi, si facere possemus ut dies iudicii non veniret. Si vel sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine inefabili vultus ejus, in qualibet æternitate & impuni-

cc P sal. 49.
cc S. Augusti.
cc in hunc
cc P salm.

cc [sa. 47. 16.

tate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar
 aut quibus loquar? *Hæc amantibus pœna est, non con-*
temnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis ur-
 contemne sentire cœperunt, noverunt quod dico, quan-
 ta pœna sit tantummodo à facie Dei separari. *Disce-*
ditie à me, maledicti. Qui autem illam dulcedinem non
 gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant
 vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non in-
 vitant? *In ignem æternum.* Vile tibi est quod Deus pollicetur,
 contremisce quod minatur. *Ignis in conspectu*
ejus exardescet. Non erit iste ignis foci tui, in quem
 tamen si manum mittere cogaris, facis quicquid vo-
 luerit, qui hęc minatur. Minatur inimicus tam leve
 malum, & facis malum: Minatur Deus æternum ma-
 lum, & non facis bonum? Ad malum faciendum nec
 minæ te compellere deberent: à boño faciendo nec mi-
 næ te detertere deberent. Minis autem Dei, minis æ-
 terni ignis, prohiberis à malo, invitatis ad bonum.
 Unde piget, nisi quia non credis? *Ignis ante ipsum præ-*
cedet: & in circuitu ejus tempestas valida. Planè valida
 tempestas, ventilatura tam magnam aream. Hac tem-
 pestate erit illa ventilatio, qua separabitur à sanctis om-
 ne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à piis &
 tremebitis verbum Dei omnis contemptor & super-
 bus. *Advocabit calum desursum, & terram discernere*
populum suum. Cælum vocat perfectos, qui relique-
 runt omnia, & Christum secuti sunt: ipsos vocabit lû-
 sum, ut cum ipso sedeant judicaturi duodecim tribus
 Israël. Discernet terram, alios ad dexteram situens,
 alios ad sinistram. Nihil tunc discernet judicandos, nisi
 opera, sive bona sive mala. Non divitiæ, non honores,
 non dignitates, non potestas, non nobilitas; sed sola
 opera. Tunc reprobus, qui potentes & divites in hoc sæ-
 culo fuere, manus invisibilis in conscientia exarabit ver-
 ba illa terribilia, quæ impius Baltasar exarata vidit in
 aula convivii; & quæ Daniel Propheta illi interpre-

Daniel. 7.

tatus

tatus est; *Mane, Thecel, Phares. Mane: Numeravit*
Deus regnum tuum, & complevit illud. Prospera om-
 nia habuisti, dum in mundo viveres: sed completum
 est ac numeratum prosperitatis tuæ tempus: te manet
 æterna miseria, cruciatus sine fine. *Thecel. Appensus*
es in statera, & inventus minus habens. Opera tua in-
 justa, infructuosa, damnatione digna: cogitationes,
 desideria, ceterique affectus, verba, facta, appensa sunt
 & discussa in statera justitiæ, & inventa sunt damna-
 tionis digna. *Phares. Divisum est regnum tuum.* Jam
 vera nobilitas, veræ divitiæ, vera potestas, vera & æ-
 terna felicitas datur iustis à te divitis & separatis, popu-
 lo benedicto, & per electionem gratiæ discretis. *Et ser-*
ram discernere populum suum. . . Congregate illi san-
ctos ejus, & qui ordinant testamentum ejus super sa-
cificia. Congregate, ut in æterna tabernacula recipi-
 antur. Congregate illi iustos, qui misericordiam opera
 fecerunt, qui compassi sunt inopi, qui intellexerunt su-
 per egenum & pauperem: qui cogitant de promissis
 ejus, super illa quæ operantur. Ipsa enim sunt sacrificia,
 Deo dicente: *Misericordiam volui, & non sa-*
cificium.

II. Ad iudicium nos præparemus Christianè viven-
 do, misericordiam opera faciendo, elemosynas uberes
 erogando, ut misericordiam inveniamus in tempore
 opportuno. Iudicium enim sine misericordia illi qui non
 fecit misericordiam. Christus in iudicio illis quos dam-
 natus est solas elemosynas negatas; illis quos corona-
 turus est, solas elemosynas datas impurabit. Vide
 S. August. Serm. 60. aliàs De Tempore 50. Cap. 10.
 & Theolog. nostram Dogmat. & Moral. Lib. 3. Cap.
 6. Art. 9. Regulis 5. 6. & 7. Tunc dicit Rex his qui
 à sinistris erunt: *Venite benedicti Patris mei, percipite*
Regnum. Pro qua re? *Ejuriavi enim, & dabistis mihi*
manducare. Quid tam vile, quid tam terrenum, quam
 frangere panem esurienti? *Tanti valet regnum calo-*

Dan. 5.

Osai. 6.

Iacobi. 2. 7.

S. August.
10 Jul. 10.

rum. Sed non habes facultatem frangendi panem esurienti, non habes domum quò inducas, non habes vestem quà cooperias: da calicem aquæ frigidæ, mite duo minuta in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. *Tanti valet, quantum habueris.*

De iudicio generali, vide Ideam Concionis Dominicæ 1. Adventus, & *Theolog. Dogm. & Moral. Lib. 1. Quæst. 2. Art. 7.* ad illa verba Symboli Apostolici: *Judicaturus est vivos & mortuos.* Qui tunc Iudex venturus est, modò Advocatus est. Ad thronum misericordix & gratiæ ejus per penitentiam confugiamus. Iudicii dies iis tantummodo terribilis, qui securi esse bene vivendo nolunt, & malè vivere diu volunt.

FERIA III. POST DOMINICAM I.
QUADRAGESIMÆ.

Cùm intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? ... Et intravit Jesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo ... & dixit eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Matth. 2. 1.

DUO Dei Judicia Scriptura facta commemorat, Judicium occultum, & Judicium manifestum. Judicium manifestum est, quo Dominus judicaturus est vivos & mortuos, omnibus fatentibus cum esse à quo & bonis præmia, & malis supplicia tribuentur. *Occultum judicium est pena qua nunc unusquisque hominum aut exerceat ad purgationem, aut admonetur*

*S. August.
in Epist. 7.*

PARS II. FER. III. POST DOM. I. QUAD. 211
ad conversionem; aut si contempserit vocationem & disciplinam Dei, excacatur ad damnationem. De primo hesternæ dici Evangelicæ lectio ut tractarem argumentum dedit: de secundo hodierna. Judæi enim qui vocationem & disciplinam Christi contempserunt, excacantur ad damnationem: Christum præsentem non agnoscunt; ejus ingressu commoventur, quem desiderant Patriarchæ & Prophætæ mundi Salvatorem. Interrogant quis sit, idque discunt à turbis Jesum comitantibus. *Commota est universa civitas dicens, Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta à Nazareth.* Hic est Jesus, cujus typi fuere qui hoc nomine ante ipsum insigniti sunt: Propheta ille, quem Deus Moyli promissit se de medio populi sui suscitaturum; à Nazareth, unde aliquid boni orti non posse Pharisei existimabant. Sic cæcitas ex parte in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret. Admonetur verò ad conversionem, qui è Templo ejiciuntur, omnes vendentes & ementes; quibus ait Jesus: *Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sunt autem illi. 1. Omnes qui in Clerum & ad Beneficia Ecclesiastica sine legitima vocatione irrepunt. Illi enim cùm non intrent per ostium, sed ascendant aliunde, *Fures sunt & latrones*, ut Christus docet. Vide *Theolog. Dogm. & Moral. Lib. 2. Tract. de Sacram. Ordinis. Cap. 3. Art. 5. Reg. 18. & Cap. 6. Reg. 4. & 5.* 2. Qui beneficia Ecclesiastica & factum Ministerium vendunt vel emunt, pecuniâ, obsequiis, adulationibus, petitionibus pro se ipsis, cum nullas Dei, pretio confer; & Christi Domini sententia sit, quæ nullis Sophistarum distinctionibus eludi potest: *Gratis accepistis, gratis date.* (*Lib. 11. Theol. Dogmat. & Moral. Cap. 7. Art. 2.*) 3. Domum Dei speluncam latronum faciunt omnes Clerici beneficiati, qui retribuis Ecclesiasticis, quorum dispensatores sunt, non domi-

*Druson. 17.
Rom. 11. 17.*

*Te. coll.
Matth. 11.*

ni, abutuntur ad luxum, ad ludos, ad voluptates, ad ditandos confanguineos; aut ad avaritiam suam fovendam pecunias ex beneficiis & ministeriis Ecclesiasticis provenientes congregant & recondunt in arcis & fucullis, aut ex illis augent patrimonium; cum ad pauperum sublevandas necessitates, aliisque pia opera erogare debeant, quod præter frugalem victum & honestum vestitum, habitum ratione sui ordinis & dignitatis, illis superest. . . Bona enim Ecclesie sunt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia pauperum. Denique Quicquid præter necessarium victum & simplicem vestitum de Altari retinet, (inquit S. Bernardus ad Clericum scribens) innum non est, rapina est, sacrilegium est. Vide Lib. 2. Theolog. Dogm. & Maral. Tract. de Sacramento Ordinis, Cap. 5. Reg. 9.

II. Admonentur rursus ad conversionem Christi Domini voce, qui ad Tempia Deo dicata aliâ intentione adeunt, quam orationis, aut in iis irreligiousè & immodestè se gerunt, mulieres & viri qui ad sacra illa loca concurrunt Propter mutuum videre & videri: quæ pompam omnem mundi muliebris illuc circumferantur ut Deo corda surripiant, ejusque loco, si dicere fas est, adorentur. *Filia eorum composita, circumornata ut similitudo Templi.* Quid facis, homo? Mulierum speciem curiosus in Ecclesia perlerutaris, nec horrefcis tantâ Dei Templum afficiens contumelia? prostituluntne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis: etiam times ne quis te videat: in Ecclesia verò nec horrefcis, nec pavescis, nec stupes? Scriptum est, *Domus mea domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* De reverentia Templis debita, vide Lib. 5. Theolog. Dogmat. & Moral. Cap. 1. Art. 9. n. 6. Cum pavore & humilitate ad Tempia adendum est. Pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus. . . Decet Domum Domini sanctificando, decet ut cujus in pace factus est locus

Synodus Pat. r. 6.

S. Bernard. Epist. 7.

Tertull.

Psalm. 43. 21.
S. Chrysost. Hom. 74. in Matth.Levit. 26. 2.
Concil. Lugd. 2. Can. 25.

ejus, sit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesiam humilis & devotus ingressus, sit in eis quæta conversatio, Deo grata, insipientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed resiciat. . . cessent in illis vana, & multo fortius fœda & profana colloquia. Cessent confabulationes qualibet. Sint postremo quæcumque aliâ divinum turbare possunt officium, aut oculos divina Majestatis offendere, ab ipsiis proptus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi, &c. . . Sed & tempore quo Misericordiam solemniter celebrantur, Non solum ab otiosis, & inutilibus verbis, verum etiam & à perniciosis cogitationibus funditus abstinendum est. Lugenda Christianorum in Templis irreverentia, quæ vix ab impietate sejuncta esse potest. Oculi Dei singulari quadam ratione ad Tempia ejus nomini dicata sunt attenti, ut piorum orationes exaudiat, ut irreverentias profanatorum puniat. Sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem servi tui & populi tui Israel quodcumque oraverint in loco isto

Concil. Turon. an. 813. C. 11.
Concil. Trid. sess. 22.

1. Reg. 1.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia penitentiam egerunt in predicatione Jona: & ecce plus quam Jonas hic. Matt. 12. 41.

Cum Ninivitarum comparatione judicandi sint Christiani, qui penitentiam non agunt, examinandum est utrum penitentiam nostra similis sit illorum penitentia. Ninivite penitentiam egerunt sinceram;

O ii]

Jonas 2. 10.

promptam, severam. Sinceram, quia non verbis solum, sed operibus penitentiam egerunt. *Et convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quae est in manibus eorum. . . Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala.* Promptam penitentiam egerunt, quia statim atque Jonas clamavit, *Adhuc quadraginta dies, & Ninivæ subvertetur,* crediderunt in Deum, & statim penitentiam agere ceperunt. Severam, quia *Prædicaverunt jejuniū, & vestiti sunt sacco à majore usque ad minorem.* Et pervenit verbum ad Regem Ninivæ, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indatus est sacco, & sedit in cinere. Et clamavit, & dixit in Ninivæ ex ore Regis & Principum ejus, dicens: *Homines & jumenta, & boves & pecora, nec gustent quidquam, & aquam non bibant. Et operiantur sacco homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.*

I. Jonas homo Ninivitis incognitus & despectus comminatur temporalem calamitatem, everisionem urbium eorum, & sinceram penitentiam agunt: Nobis penitentiam prædicat Christus Jesus, & sincerè non agimus, verbis dumtaxat pœnitere nos profitemur, non operibus: folia dumtaxat, id est, mera verba, non fructus penitentiae facimus: non mutamus opera, nec in novitate vitæ ambulamus, quia cor mutatum non est & sincerè conversum. *Muta cor, & mutabitur opus:* (inquit S. Augustinus) pravi affectus, pravi habitus evertantur, virtutes ædificantur. *Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitæ, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Ninivite, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur.* Sic juxta divinam prædictionem, eversa est Ninivæ quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. *Stantibus enim manibus atque dormibus, eversa est civitas in perditis moribus.* Christus nobis temporales dumtaxat pœnas non comminatur, sed æternas. *Nisi penitentiam*

S. August.
Lib. 11. de Civ.
nat. Dei, C.
24. n. 4.

egeritis, omnes similiter peribitis.

II. Jonas ultionis divinæ tempus certum indicavit *Luc. 12.*
Ninivitis, *Adhuc quadraginta dies:* & tamen non procrastinarunt, non distulerunt conversionem: & nos de die in diem penitentiam differimus, cum incertum sit tempus quo nos Deus expectaturus est. *Nescitis diem, neque horam.* Mutanda conversio, ne mors nos intercipiat impientes. *Nescit homo finem suum:* *Eccl. 9. 11.*
sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo super-venit. Ninivite statim penitentiam egerunt, quamvis nullam haberent veniæ securitatem. *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & revertatur à furore ira sua, & non peribitis?* *Jona 3. 9.*
Nos verò penitentiam statim agere dubitamus, quamvis Deus veniam promittat penitentibus. *Vivis ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impiis, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini, domus Israël? . . . *Si dixerio impio, Morte morieris:* *Ezech. 12.*
& egerit penitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vitâ vivet, & non morietur. *Heu, (exclamat Augustinus pœnitens) Differabam de die in diem vivere in te, Deus meus! & non differabam quotidie in memetipso mori.* *1. Confess.*

III. Ninivite severam penitentiam egerunt. Christiani penitentiae severitatem detrectant; quamvis graviora sint illorum quam Ninivitarum peccata. Vide *Lib. 3. Theolog. Dogmat. & Moral. Cap. 4. Art. unico, Regula 5. 4.* De penitentia severitate, seu satisfactionis portione cum gravitate peccatorum, vide *Lib. 2. Tract. De Penitentia, Cap. 6. Art. 6. Regula 5. 6. & 17.*

Duplex impœnitentiae causa in plerisque peccatori-

bus, prima, quod divinam Legem ut regulam vitæ suæ sequi nolint, sed propriam in omnibus voluntatem, *Voluntus*. Secunda, quod sensus suos, cæcæque rationem, non Dei revelantis auctoritatem, summam veritatem, verbum, fidem, ut regulam credendorum sequi velint. *Voluntus à te signum videre*. Utrumque pravum omnino est. In quocumque voluntatis suæ arbitrio stare, periculosum est, ait S. Basilius: cum Dominus dixerit: *Non veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Hinc David pœnitens ait: *furavi & statui custodire judicia iustitiæ meæ, non meam voluntatem*. Non est æquum ut voluntas Dei ad nostram, quæ prava est, detorqueatur, sed ut nostra ad divinam, quæ Regula est, corrigatur. *In circuitu impij ambulat*: Propria enim ipsorum voluntas omnium quæ operantur & principium & finis est. *Va homini qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam à propria voluntate recedit*. Væ iterum carnali homini, qui sensibus, & rationi ita addictus est, ut credere nolit quæ non capit, & Dei testimonia nimis credibilia respiciens, toto mundo credente signum adhuc querit. *Voluntus à te signum videre*. Magna hæc pœnitentiæ impedimenta sunt, quæ cum fide, & propriæ voluntatis perfectæ subjectione divinæ voluntatis & legis imperio, conjuncta sit necesse est.

S. Basil. 1. de
servo. 117.

Psal. 11.

S. Bernard.
Serm. 12. in
Psal. 90.



FERIA V. POST DOMINICAM I.
QUADRAGESIMÆ.

Egressus Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis; & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Misereere mei Domine, fili David, filia mea malè à demonio vexatur. Matth. 15.

Necessitas orationis ad gratiam impetrandam, necessitas gratiæ ad orationem fundendam, Catholicæ Fidei dogmata sunt. *Efundam* (inquit Deus) *super domum David, Spiritum gratiæ & precum*. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (inquit Apostolus) nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro Sanctis. Oratio clarissima est gratiæ testificatio. Quid enim stultius quàm orare ut accipias quod in potestate habes? Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est: de quo Prophetæ: *Et dixi, Nunc ceppi, hæc mutatio dextere Excelsi*. Et, *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet*. Quid est autem oratio, nisi pium desiderium? Primam quidem gratiam Deus dat etiam non orantibus, sed aliarum feriem gratiarum, ut victoriam tentationum, devitationem peccati, operationem boni, perseverantiam, non tribuit nisi orantibus. Sunt qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, prius quàm petamus ab eo. Num propter tales hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Immo *cum constet alia*

Zachar. 12. 10.

Rom. 8.

S. August.
de civitate in
lois.

S. August.
lib. de Do-
mo Persev.
et Cap. 11.

et

et

et

et

Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nomini orantibus preparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat, Ut quid igitur oramus ut fiat voluntas Dei sicut in celo & in terra; ne inducamur in tentationem, ut liberemur à malo; Ut quid (inquam) ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. Hæc est fidei sanitas, qua nos facit quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatür nobis. Contra ipsam qui disputat, contra se ipsum claudit ostium misericordie Dei. De necessitate orationis non agam impræsentiarum: sed de conditionibus orationis, quarum alix orantem spectant, alix res quæ in oratione petuntur; alix modum orandi. Ideo enim sæpe non exaudiantur orantes, vel quia mali petunt; vel quia mala petunt; vel quia bona malè petunt.

I. Quod primum spectat, peccatorum in suis peccatis perseverantium non exauditur oratio. Immo oratio ipsa fit in peccatum, nisi ante orationem peccati deponatur affectus. Vide Lib. 5. Theolog. Dogmat. & Moral. Cap. 1. Art. 5. n. 2. & 4. Hoc & Cananæ docet exemplum, quæ jam idolorum suorum cultum reliquerat, jam in Deum & Christum Jesum credebat, cum oravit. Ecce mulier Cananæ à finibus illis egressa, clamavit dicens ei: Misere mei Domine, fili David. Nisi ex finibus illis exivisset, ad Jesum clamare ex magna fide non potuisset. Pro fidei portione egreditur quis ex finibus Gentium. Ac censendum quidem est unumquemque nostrum, dum peccat, versari in finibus Tyri, vel Sidonis, vel Egypti, vel alicujus ex iis qui sunt extra hereditatis Dei distributionem; migrantem verò à vitio ad virtutem, exire è vitionum finibus, ad fines verò patriis Dei pervenire. Charissimi,

S. August.
Lib. de Perse-
cutione Justi-
tine, Ca. 19.

Origene in
in Marth.
Ecl. Hæc.

1. Joan. 1.

(inquit dilectus Christi Discipulus) si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandat a quo custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.

II. Secundum quod actinet, à Deo petenda non sunt in oratione, nisi quæ Deo sunt digna, ejus gloria, conversio, saluque nostra, gratia & virtutes, fidei, spei, & caritatis augmentum, victoria tentationum, perseverantia, gloria æterna, quæ Deus ipse est: bona verò temporalia non primario ac præcipue, sed propter se, sed sub conditione petenda, si Deus ad salutem nobis expedire judicet. Castus & purus amor nihil à Deo petit præter ipsum, & quæ nos cum ipso conjungunt. Vide Lib. 5. Theolog. Dogm. & Moral. Cap. 2. Art. 6. Mulier Cananæ nobis exemplum dat petendi quæ Deo digna sunt, orat enim ut filia ejus à demonis vexatione liberetur; misericordiam orat: Misere mei, Domine, fili David, filia mea male à demonio vexatur. Malè utitur eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde Si hoc ab illo petimus, unde homo ledatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.

S. August.
Tract. 71. in
Joannem.

III. Non solum autem bona petenda sunt, sed bene & dignè Deo; scilicet. 1. Cum fide & sancta fiducia impetrandi, ut Cananæ. O mulier, magna est fides tua, sicut tibi sicut vis &c. Fides fundit orationem, fusa oratio etiam ipsi fidei impetrat firmitatem. Fides fons orationis, nec potest ire rivus, ubi caput aquæ siccat. Qui igitur vult à Deo exaudiri, Postulet in fide nihil hæsitans. Patrem credentium imitetur, qui in reprobatione Dei non hæsitavit dissidentia, sed confortatus est fide.

S. August.
Serm. 116.
ad 11. de
Verbis Dom.
Rem. 4.

2. Orandum cum humilitate, ut Cananæ, quæ à Christo durè excepta, & canis appellata, se humiliavit in conspectu ejus, & humilitate exaudiri meruit. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de

micis que cadunt de mensa Dominorum suorum. Suscepit convitium, & meruit beneficium. *Mulier Cananea*, id est, ut Origenes interpretatur, *Ad humilitatem parata*. Vide *Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 5. Cap. 2. Art. 9. n. 2.*

3. Perseveranter orandum, exemplo Cananeæ, que à Christo repudiata propius accedit, clamat fortius, instat ardentius. Vide *Ibidem n. 4.* Dissert sæpe Deus date quod petimus, ut desiderium nostrum & amorem magis accendat, ut spem probet, ut acceptum denique majori diligentia custodiamus. Dei silentium in iustorum oratione, sæpe dissimulatio est amantis, si ita loqui fas est, non indignatio fugientis. *Revertere, dilecte mi*, (inquit Sponsa) *Subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius.* Nam & aliquando simulabat se longius ire, non quia hoc volebat, sed volebat audire: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Et rursus alia vice super mare ambulans, cum Apostoli navigarent & laborarent in remigando, *Quasi volens præterire eos, ne tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, & elicere precem...* *Præteriens teneri vult, abiens revocari.*

Cantic. 2.
S. Bernard.
Serm. 74. 10
Cont.

Luc. 24.

Marc. 6.

FERIA VI. POST DOMINICAM I.
QUADRAGESIMÆ.

Est autem Jerosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum.
Et c. Joan. 5.

PROBatica piscina Sacramenti Pœnitentiæ figura est, quod Christus in Ecclesia instituit. Lavacrum est

multò excellentius piscinâ illâ veteri, siquidem non ex aquis fontis alicujus vulgaris & terreni, sed ex Christi sanguine pro peccatoribus in Cruce effuso, & caelestibus aquis Gratiæ ipsius constat, ad peccatorum nostrorum emundationem destinatis. *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum sanctissimè oblati immaculatam Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* De Pœnitentiæ Sacramento, lege *Lib. 2. Theolog. Dogmat. & Moral. Tract. de Sacramento Pœnitentiæ Cap. 1. Art. 5.* Sanguis Christi tam potens est ad lavacrum, tam dives ad pretium, ut non solum in Baptismo, sed & in Pœnitentiæ Sacramento virtus ejus superabundans sit ad multorum abluenda & exhaurienda peccata, nec unquam exhauriatur. Piscina probatica erat tantum Jerosolymis; Piscina Pœnitentiæ in Ecclesia Catholica toto orbe diffusa. *Quia singuli cœtus Hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Ecclesiam Catholicam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est Confessio & Pœnitentiæ, que peccata & vulnera, quibus subjecta est fragilitas carnis, salubriter curat.*

Hier. p. 142

Laurentius
Lib. 1. de salt.
Relig. c. 20.

In hac salutari Piscina sanantur omnis generis ægroti, *Multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum;* Peccata inimitatis, ignorantix, malitix remittuntur. Hac in piscina lavantur oves Christi, ut in Festo die offerri Deo possint, cum Agno illo immaculato, & Sacrificii ejus participes esse. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, disceite benefacere...* Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. . . . *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in abluionem peccatoris.*

Zachar. 11.

Piscina probatica certo dumtaxat tempore languidos sanabat, cum scilicet Angelus Domini descendens movebat aquam. *Angelus autem Domini descendebat sa-*

tundium tempus in Piscinam, & movebatur aqua. Piscina Penitentia omni tempore sanctificat & sanat peccatores, quia omni tempore aqua ejus movet Magni consilii Angelus, perennemque tribuit illis virtutem ex vulneribus suis derivatam. *Impietas impii non vocabit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Piscina probatica unum dumtaxat ægrotum sanabat, Qui prior descendisset in eam post motionem aqua. Piscina Penitentia omnes generatim qui ad Sacramentum cum debitis dispositionibus accedunt. Non solum invitat, sed præcipit Deus ut in piscinam descendamus, veniam peccatorum verè Penitentibus pollicetur. Non præcipit tantum, sed etiam hortatur. *Invitat premio, salute; jurans etiam: Vivo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserimos, si nec juranti Domino credimus.*

Secundum Animam Paralytici sumus, cæci, atidi, languidi: propriis viribus descendere non possumus in piscinam penitentia, sed tamen inexcusabiles sumus si non descendamus, nec à peccatis sanemur, quantumcumque inveterata sit & gravis infirmitas. Non possumus quippe dicere ut paralyticus ille triginta & octo annos habens in infirmitate: *Hominem non habeo*: Prælo enim semper nobis est Christus Deus homo, qui & homines Sacerdotii sui Ministros constituit, qui nos in piscinam mittant. *Dedit nobis ministerium reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Seligite hominem conscientie moderatorem, qui vos mittat in piscinam opportuno tempore, cum debitas dispositiones ad Sacramenti virtutem fructumque recipiendum in vobis agnoverit.

1. Prima dispositio est sincera voluntas deferendi peccatum; voluntas non infirma, sed magna & efficax; non imperfecta, sed absoluta & valida, quæ sit *Idonea expu-*

Exeb. 11. 12.

Tertull. lib. de Virg. Cap. 4.

1. Cor. 7.

5. Aug. 9.

gnare priorem vetustate roboratam. Non voluntas similis conatibus expurgisci volentium, qui tamen soporis alitudine remerguntur, qualem in se ipso experiebatur ante conversionem suam Augustinus. *Ego eram qui volebam, inquit; ego qui volebam: nec plene volebam, nec plene volebam, ideo mecum contendebam, & dissipabar à me ipso.* Hanc dispositionem in paralytico nostro, quatenus figura erat peccatoris, Christus postulat. *Vis sanus fieri?*

2. Secunda dispositio est inchoatio novæ vitæ, quæ agnoscitur in penitente, si dignos fructus penitentia faciat, si peccandi occasiones procul à se removeat, si in bonis opetibus se exerceat, si ambulet in via mandatorum Dei. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat.*

3. Tertia conditio est, ut firma sit, stabilis & constans, non desultoria conversio. Subitus namque & frequens in gravia peccata relapsus, seu alterna penitentiarum & relapsuum in eadem peccata vices, dubiam & suspectam meritò reddunt conversionem, ut qui in eo sunt statu, non statim absolvi debeant à Confessariis, sed postquam sinceritatem conversionis ex fructibus agnoverint. *Postea invenit eum Jesus in Templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vide Lib. 2. Theol. Dogm. & Moral. Tract. de Sacram. Penit. Cap. 7. Art. 3. Reguli 1. & xi.*

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matth. 17. 1.

CUm Christus passionem suam Discipulis prænu-
 ciasset, illisque significasset quanta & quam gra-
 via pro ejus nomine passuri essent; & quâ viâ deberent
 illum sequi, dicens: *Si quis vult venire post me, abne-
 get semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur
 me: Atque mox subjecisset: Amen dico vobis, Sunt qui-
 dam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec
 videant Filium hominis venientem in regno suo; id est,
 in gloria suâ claritate: post sex dies tres Apostolos sele-
 ctos duxit in Montem excelsum seorsum, & transfigu-
 ratus est ante eos. In qua Transfiguratione illud quidem
 principaliter agebatur, ut de cordibus Discipulorum
 crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem
 voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata es-
 set absconditæ excellentiæ dignitas. Sed non minore
 providentiâ spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur, ut totum
 corpus Christi agnosceret quali esset commutatione don-
 andum; ut ejus sibi honoris consortium membra pro-
 mitterent, qui in Capite præhulsisset. De quo idem Do-
 minus dixerat, cum de adventu sui majestate loqueretur:
*Tunc iusti fulgebunt sicut sol in Regno Patris eor-
 um: protestante hoc ipsum beato Paulo Apostolo & di-
 cente: Existimo quod non sunt condigne passiones hujus
 temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.
 Et iterum: Mortui enim estis, & vita vestra abscon-
 dita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus appa-
 ruerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in
 gloriâ.**

Matth. 16.
S. Leo
Serm. 94.
Matth. 17. 13.
Rom. 8. 18.
Coloss. 3. 3.

*gloriâ. Facie solis instat radiante significavit divinitatis
 suæ incomparabilem splendorem, & Dei qui lux est,
 & in quo tenebræ non sunt ulla, visionem beatificam.
 Vestium candore, adumbravit corporis gloriosi dotes:
 Moysis & Eliæ præsentia jucundissimam cælestium socie-
 tatem; nube lucidâ obumbrante, diem perpetuum,
 absque tenebris, frigore, aut aestu, ullaque tempestatum
 vicissitudine: extati & voce Petri, incomprehensas &
 inenarrabiles delicias: voce Patris æterni de nube audi-
 tâ, certitudinem & securitatem beatitudinis ac gloriæ.
 Inter hæc loquitur Christus de excessu quem comple-
 turus est in Jerusalem, quia non nisi per crucem pveni-
 tur ad gloriam. Christus ergo in Transfiguratione sua
 nobis ostendit. 1. finem ad quem tendimus, scilicet bea-
 titudinem & gloriam æternam: 2. viam qua ad beaitu-
 dinem & gloriam pervenimus, scilicet crucem, pas-
 siones, tribulationes.*

Luc. 9. 21.

I. Quid sit vita æterna? (*Lib. 1. Quæst. 2. Art. 13. §. 1.*) Æterna beatitudo congruis verbis explicari non potest, sed mentis humanæ capum superat. Omnium tamen malorum liberatione, omniumque bonorum possessione definiti potest. (*Ibid. §. 2.*) Summa felicitas, Dei fructus & amor. (*Ibid.*) Dei visionem & amorem summa pax consequitur. (*Ibid.*) Beatorum pacem nulla turbabit invidia. (*Ibid.*)

II. Ut ad gloriam & vitam æternam perveniamus, media debemus eligere quæ nobis Christus præscripsit, viam sequi quam monstravit; nihil non agere, nihil non pati propter Deum. (*Ibid. §. 9.*) Si quid verò pro dilectione æternæ patriæ Christiani gesserint, considerent quam leve sit illud & modicum, si vel cum præclaris illis facinoribus conferatur, quæ veteres Romani pro terrena patria & civitate gesserunt. (*Ibid. n. 2.*) Qui jus habent ad vitam æternam? (*Ibid.*) Per labores & tribulationes ad eam pervenit. Nemo eam obtinet, nisi abneget semetipsum, & tollat crucem suam quoti-

die, & Christum sequatur, per arctam viam, quæ sola ad vitam ducit; quia Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Psalmus octogessimus tertius, Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! de caelesti beatitudine tractans, inscribitur, Pro torcularibus, id est tribulationibus, per quas ad gloriam & vitam æternam pervenitur. Quod expendens S. Augustinus Enarratione in illum Psalmum: Uva (inquit) pendet in visibus, & oliva in arboribus: & quandiu pendet in fructibus suis, tanquam libero aëre perfuuntur: & nec uva vinum est, nec oliva oleum, ante pressuram. Sic sunt homines quos predestinavit Deus ante sæcula, conformes fieri imagini unigeniti Filii, qui præcipue in passione magnus botrus expressus est. Huiusmodi ergo homines antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in sæculo tanquam deliciosa libertate, velut uva aut oliva pendentes: sed quoniam dictum est, Fili, accedens ad servitutem Dei, sita in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem: accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat: contribulabitur, conteretur, comprimetur: non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecæ Dei desinat. Si felices sumus in hoc sæculo, si omnia nobis prosperè cedant, ne dicamus, Bonum est nos hic esse, faciamus hic tabernacula. Felicitas enim sæculi metuenda magis est, quam adversitas & infelicitas. Immo verò nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit. Quomodo ergo cavenda & timenda est ipsa corruptrix, ne te blandiendo seducat? Ne incumbas in baculum aruudinis. Noli te credere, fragile est quo niteris, frangitur, & interimit te. Si ergo felicitate tibi iste mundus ardeat, in pressura te computa, ut dicas, Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi. Non dixit, Inveni tribulationem, nisi quamdam quæ latet. Quædam enim tribulatio quosdam in hoc sæculo latet, qui putant sibi bene esse, cum peregrinentur à Domino.

Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Si à patre tuo homine peregrinaveris, miser esses; te à Domino peregrinari, & felix es? Ergo sunt qui putant sibi bene esse. Qui autem intelligunt in qualibet circumfluentia copiarum & voluptatum, quamvis ad nutum cuncta deseriant, quamvis nihil molestum irrepât, nihil adversum terreat, tamen in malo esse quandiu peregrinantur à Domino, acutissimo oculo tribulationem & dolorem inveniunt, & nomen Domini invocaverunt. . . Omnes in hac vita in torcularibus sumus. Ergo in pressuris tentacionum constituti, edamus hanc vocem, & præmittamus desiderium nostrum: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Erat in tabernaculis quibusdam, id est, in torcularibus: sed desiderabat alia tabernacula, ubi nulla pressura est. In his illuc suspirabat, ab his in illa per desiderii canallem quodammodo defluebat. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Deficit uva pressa, sed quò deficit? In vinum, & in lacum, & in apothecæ requiem, servanda in quiete magna. *Hic desideratur, ibi capitur: hic suspiratur, ibi gaudetur: hic oratur, ibi laudatur: hic gemitur, ibi exultatur.* Ea quæ dixi quasi dura hic nemo avertetur, nemo quasi nollet pati. *Metuendum est ne uva, dum torcular timet, ab avisibus vel à feris comedatur.* In magna videtur tristitia esse, cum dicit, *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini:* Non enim habet quod desiderat. Sed numquid sine gaudio est? Quo gaudio? Quod ait Apostolus, *spe gaudentes.* Ibi jam te gaudebit, modò adhuc spe. Ideo que qui spe gaudent, qui certi sunt se accepturos, tolerant in torculari omnes pressuras. Propterea & ipse Apostolus cum dixisset, *spe gaudentes,* addidit statim, *in tribulatione patientes.* Spe igitur gloriæ, cuius specimen Christus in Transfiguratione sua nobis exhibet, crux & tribulationes constanti animo ferende sunt. Affecit te aliquis ignominia? Suspice gloriam quæ reposita

Job, 19.

ta in caelis est, tibi paranda merito patientiæ. Jacturam rerum tuarum fecisti? Oculis converte ad caelestes divitias & incomparabilem thesaurum, quem bonorum operum pretio tibi comparare potes. Patriâ expulsus es? Patriam habes caelestem illam Jerusalem. Ita te consolatur S. Job in angustiis, extremaque desolatione: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surreturus sum: & in carne mea videbo Deum meum... Reposita est haec spes mea in sinu meo.*

IN EADEM DOMINICA.

Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Matth. 17.

Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri. Christum Legislatorem, Magistrum, Dominumque nostrum ut audiamus, jubens Æternus Pater, nobilitatem ejus & dignitatem ostendit: *Hic est Filius meus dilectus: Quem proinde ut me ipsum audire debetis. Christus verus Deus, Deique Filius est, Patri consubstantialis & coæternus (Lib. 1. Quest. 2. Art. 3. §. 4.)* Christus homo non est Filius adoptivus Dei, sed naturalis. (*Ibid. §. 6.)* Christus etiam ut homo, nosset Dominus est... Christus in forma servi sine conditione servili. (*Ibid. §. 7.)* Lex & Prophetæ Christi Jesu Divinitati attestantur. Ideo *Moyse & Elias apparuerunt in monte sancto loquentes cum Jesu.* Legem & prophetias implere venit & consummare; veterem legem per Moysen datam, novâ lege; Prophetias mysteriorum suorum veritate. Ideo *Moyse & Elia disparentibus, statim arque vox Patris de nube audita est, Apostoli neminem viderunt nisi solum Jesum.* Testimonium itaque Jesu divinitati perhibent, 1. Lex & Prophetæ.

2. Pater Æternus. 3. Apostoli tres selecti, Transfigurationis illius testes. *Non doctas fabulas secuti (ait S. Petrus) notam fecimus vobis: Domini nostri Jesu Christi virtutem & presentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipient enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem audivimus de celo alatum, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes. Nostra erga Dominum nostrum Jesum Christum officia. Illum audire, ipsique parere debemus, non timore premente compulsi, sed caritate sublevante excitati. (Lib. 1. Quest. 2. Art. 3. §. 7.)* Illum audire debemus docentem, & novam legem dantem atque prædicantem: *Ipsam audite.* Illum imitari debemus omnium, quas prædicat, virtutum nobis exempla præbentem. *Levantes autem oculos, neminem viderunt nisi solum Jesum.* Novæ legis à Veteri discrimen. 1. Lex vetus in tabulis lapideis scripta; lex nova in cordibus. 2. Lex vetus homines à peccato coercet timore pœnæ; lex nova ad faciendum bonum inclinat amore justitiæ. 3. Lex vetus remuneracionem terrenam; lex nova felicitatem æternam pollicetur. (*Lib. 4. Cap. 1. Art. 2. §. 4.)* *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant: anathema sit.*

Exodi XXV. 40. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

Ad Hebræos XII. 1. 2. *Deponentes omnem pondus, & circumstantans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, a spicientibus in Auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.*

Council. Trid.
Sess. 6.
Cap. 11.

FERIA II. POST DOMINICAM II.
QUADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Joan. 8. 21.

Quis Christianorum ad comminationem adeo terribilem non contremiscat? Grande malum in peccato vivere, summum malum in peccato mori: cum æterna scilicet damnatione perseverantia in peccato conjuncta est. Agenda ergo est penitentia dum tempus habemus, dum gratiam suam nobis Deus offert, dum libertatem & vires penitendi habemus. Si enim penitentiam differamus ad mortem, in summum nos conjicimus periculum carendi tempore ad penitentiam agenda necessario, carendi gratiâ necessariâ, carendi voluntate viribusque necessariis.

I. Tempore vitæ nostræ nihil incertius. Vitam à Deo non accipimus ut censum, sed ut depositum, quod repetere potest quocumque momento illi placuerit. Quis craftinam diem certo polliceri sibi potest? *De mane usque ad vesperam finies me.* Annos impiorum brevianos Spiritus Sanctus per os Sapientis nos docet. *Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breviantur.* Certa quedam mensura peccatorum est justo Dei permissis & punientis judicio præstituta, quæ cum impleta fuerit, vita velut à terrene præciditur. Mensuram quamdam quæ ab Jerusalem exibat, vidit Propheta: rogantique quid illud esset, respondit Angelus: *Hæc est iniquitas ipsorum in universa terra.* Quod perinde est ac si dixisset, Hæc mensurâ omnia appendantur peccata quæcumque per universam terram singulis quibusque temporibus perpetrantur: Ubi enim nostra peccata usque ad manifestam pervenerint magnitudinem, tum ve-

ro offensus pœnas à nobis repetit Legum conditor: *et frequenter autem justa quadam benignitate tolerat, peccantisque sustinet, neque antequam sit modus completus universam effundit iram.* Itaque dixit Abraham: *et Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* Pharisæis autem, qui effronatè illum offenderant, dixit Christus: *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Permissio unius peccati, pœna alterius est. *Mea est ultio ut labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis.* Contemptus vero impii, qui bibit sicut aquam iniquitatem, & cum in profundum peccatorum venerit, contemnit: divinum ultionem, & diem mortis ejus accelerat. *Cum enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Quot subitaneæ & improvise mortes peccatorum? Nonne tot & tam terribilia, quæ quotidie ob oculos versantur, divini ultionis exempla vos movent? *Quâ hora non putatis, Filius hominis veniet.* Differendo ergo & procrastinando penitentiam, in summum vos conjicitis periculum carendi tempore ad agenda penitentiam necessario.

II. Sed & gratiam sibi frustra pollicetur peccator, quam justo judicio Deus illis subtrahit & negat, qui in vanum illam recipiunt, & Spiritui Sancto resistunt, qui *Fium Dei conculeant, & Sanguinem testamenti pollutum ducunt, in quo sunt sanctificati, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Scimus enim quis dixit, *Mibi vindicta, & ego retribuam.* Et iterum, *Quia judicabit Dominus populum suum.* Horrendum est incidere in manus Dei viventis. . . Terra super se venientem bibens inobrem, proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledictio proxima, cujus consummatio in combustionem. Gratia donum est Dei, pretium Sanguinis Christi, indebita homini, multo magis peccatori, qui ejus vocationem ad Penitentiam tam frequentem

Isa. 21.

Prov. 10. 27.

S. Cyril. 33
Alvand. 33
Ibid. de 33
ad Rom. 1. 33
Spiritu 33
et 1. 1. 33
char. 33

Genes. 15. 16.

Denter. 32. 35.

1. Thes. 5. 3.

Hebr. 10.

Cap. 6.

contempfit. Non dubium ergo quin eam iusto iudicio Deus subtrahat contemptoribus & illuforibus, qui percuflerunt fœdus cum morte, & cum inferno fecerunt pactum, pœnitentiam de die in diem differentes. *Quia vocavi, & renuiftis: extendi manum meam, & non fuit qui afpiceret. Deftixiftis omne confilium meum, & increpationes meas neglexiftis. Ego quoque in interitum veftro ridebo, & fubfannabo.* Sed etiã gratia daretur peccatori, qui pœnitentiam ad mortem ufque diftulit, quis fibi fpondere præfumat fatis potens & efficaçerã ut lumine fuo diflipet tenebras omnes cœcæ mentis, ut expugnet cupiditates longa confuetudine roboratas, ut cor ab amore creaturarum convertat ad amorem Dei, fine quo nulla vera pœnitentia eft? *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.*

III. Voluntatem denique pœnitentiæ fruſtra fibi pollicetur peccator in morte adfuturam, cum ſape iuſto Dei iudicio fiat ut moriens obliſcatur fui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei: cum ligatus fit, non ſero alieno, ſed ferrea ſua voluntate: cum velle ipſius teneat inimicus, & inde illi catenam conſtrinxerit. *Ille eſt peccati pœna iuſtiſſima, ut qui rectè facere, cum poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit.* Velle interdum videtur, ſed vellicitas eſt, & ſimulata voluntas. Dicit, *Peccavi*, ſed voce, non contrito & humiliato corde. Antiocho ſimilis eſt, de quo ſcriptum eſt: *Orabat autem hic ſeleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Neque enim ob Deum offenſum dolbat, ſed ob pœnas quas patiebat. Ex amore ſui dolor precedebat, non ex amore Dei; ex odio pœnæ; non ex amore iuſtitie. Lacrymas interdum fundit peccator moriens; ſed æquivocas & mendaces, ut reptobus Eſau, de quo ſcriptum eſt: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Pias voces profert commente & excitante Sacerdote, ſed labiis tantum, non corde. Hortatur Sacerdos ut actum contritionis

Proverb. 1.
26. 11. 26.

S. Auguſt.

S. Auguſt.
Lib. 1. de lib.
Arbit. C. 11.

2. Macab. 9.

Hebr. 12. 17.

eliciat, ſed uſum non habet, ut olim David adoleſcens regionum armorum uſum ſe non habere reſpondit: *Uſum non habeo.* Hortatur Sacerdos ut dicant, *Deus propitiuſ eſto mihi peccatori. . . Tibi ſoli peccavi. . . Adſervare mei Deus. . . Diligam te Domine, &c.* Sed extremis labiis dumtaxat piã illas voces profertur, non ex intimo pectore. Unde in tranſitu ſecunda morte puniuntur, ut olim Ephratæi à Galaaditis in tranſitu Jordanis caſi ſunt, cum vocem *Schibboleth* proferre non poſſent. *Interrogabant eum: Dic ergo Schibboleth, quod interpretatur ſpica. Qui reſpondebat, Sibboleth, eadem littera ſpiciam exprimere non valens. Statingue apprehenſum jugulabant in ipſo Jordanis tranſitu.* Pœnitentiæ verba profertur, ſpicas, manipulos, fruſtus pœnitentiæ nullos habent. Cor lapideum piã voces repetit, quæ ex illo non prodeunt, nullum vitæ ſpiritalis principium habent. *De medio peccatorum dabunt voces.* Fallam illi pœnitentiam agunt, ſpeciem habent pœnitentiæ, non virtutem. Fruſtra igitur quicquam ſibi ſpondet adfuturam in extremis pœnitendi voluntatem. Fruſtra ſibi de boni Latronis exemplo blandiatur. Miraculum enim gratiæ eſt, quod in conſequentium trahi non debet. Duo- rum latronum alter pœnitentiam agit in patibulo, & ſalutem obtinet; alter impœnitens obit & damnatur. Qui veram in extrema hora Pœnitentiam agit, unus eſt, ne deſperet; ſolus eſt, ne præſumas. Verum nec ejuſ exemplum Chriſtianiſ Pœnitentiam ad obitum ulque differentibus patrocinaur. Nam *Beatus Lator nec ſalutis tempora ſciens diſtulit, nec remedia ſtatuſ ſui in momenta ultima infelici fraude poſuit, nec redemptionis ſuæ ſpem in deſperationis noviffimum reſervavit; nec Religionem ante, nec Chriſtum ſcivit. Quod ſi ſciſſet, fuiſſet forſitan inter Apoſtolos non poſtremis in numero, qui prior eſt factuſ in Regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad conſequendam fidem non fuit extrema illa hora, ſed prima.*

1. Reg. 17.

Jud. cum 12.

Pſal. 121. 12.

Auſtor He-
mil. ſub reu-
ne Euſelii
Gallicani E-
piſc. eſt au-
rum, Tom.
magna Bi-
blioth. Pa-
reca Edite.
Lu. dlan-

Ecclesia suspectam semper ac dubiam habuit peccatorum Penitentiam, qui ad exitum usque illam procrastinarunt. Hujus veritatis probationes lege *Lib. 2. Theolog. nostræ Dogmat. & Moral. Tract. de Penitentia, Cap. 3. Art. 6. §. 8.* Timeamus ne nos derelinquat Dominus. Ab eo ne faciamus casum, ne ipse nobis faciat occasum. *Ego vado. Queramus eum, dum inveniri potest, dum sani sumus. Cum quaeseris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen quaeseris in toto corde, & tota tribulatione anima tua. Si verò illum quaerere differas donec in extremis potius fueris, non invenies. Quæretis me, & non invenietis. Vivere si pergas in peccato, timendum ne in peccato moriære. Et in peccato vestro moriemini. Time ne in te impleatur quod à Sancto Job dictum est: Usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia... Offa ejus implebuntur vitis adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient. Cum enim dulce fueris in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. Convertete ad Dominum Deum tuum ante mortem: Quia incerta in morte conversio, infructuosa plerumque & falsa, plerumque etiam nulla omnino in extremis penitentia. Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus... Quia non infernus consuebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. Vivens, vivens ipse consuebitur tibi, sicut & ego hodie. Domine, salvum me fac.*

Deuter. 4.

Job. 24. 19. 20.
Cap. 20. 11.
12.

Psalm. 26. 9.

Isai. 27. 11. 19.
20.FERIA III. POST DOMINICAM II.
QUADRAGESIMÆ.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23.

Cum Lex veteris haberet umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, omniâque in figura Judæis contingeret, legale Sacerdotium figura erat Sacerdotii Legis Novæ, sicut Legis Mosaicæ Sacrificia figuræ erant Sacrificii novæ Legis, quo Christus semetipsum obtulit semel in Cruce, ut una illa oblatione consummaret in sempiternum sanctificatos, & quotidie seipsum offert in Ecclesia Sancta per manus Sacerdotum suorum. Si ergo venerationem & obedientiam Judæorum Sacerdotibus exhiberi jussit Christus Dominus, quod in Cathedra Moysi sederent, & Legem Dei docerent: multo majori veneratione & obedientia prosequendi sunt Sacerdotes & Pastores novæ Legis à Christianis. Sunt enim Ministri divinæ auctoritatis in Sacramentorum dispensatione. *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti... Dispensatores Mysteriorum Dei. Sunt interpretes ac præcones divinæ veritatis ac Evangelicæ Legis. Labia Sacerdotis custodiunt secretum, & legem ex ore ejus requirent. Esse debent imagines divinæ Sanctitatis. Sancti erunt Deo suo, & non polluunt nomen ejus. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. Ministri sunt divinæ auctoritatis: illos ergo venerari, colere, & observare debetis. Super Cathedram sederunt. Sunt*

1. Cor. 2. 6.

1. Cor. 4. 1.

Malach. 2. 7.
Levit. 21. 6.

interpretes ac præcones divinæ veritatis: Audire ergo illos docili & obediens animo debetis verbum veritatis annuntiantes, & doctrinam salutis tradentes. *Quæcumque dixerint vobis facite.* Imagines sunt divinæ sanctitatis, si dignè ministerio suo vivant: Sanctos igitur Sacerdotes imitari debetis; si verò rectè doceant, & malè vivant (quod absit) *Secundùm opera eorum nolite facere.* De Sacerdotum novæ Legis dignitate & excellentia vide *Lib. 2. Theolog. nostræ Dogmaticæ & Moralit. Tract. de Sacramento Ordinis Cap. 1. Art. 7. §. 3.* Sacerdotes Christi legati . . . Capitis & corporis legatione funguntur . . . Dei & hominum mediatores. (*Ibidem.*) Christianorum Patres, quin etiam Matres quos iterum parturiunt verbo veritatis; *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Reverentiæ & honoris erga Sacerdotes & Pastores officia explicata vide *Lib. 4. Theolog. nostræ Dogmat. & Moral. Cap. 6.* De quarto præcepto Decalogi, §. 3. Mali etiam Sacerdotes propter Ministerium honorandi sunt. Gravis ergo peccati rei sunt, qui illos contemnunt, vel irritid, aut ipsis detrahunt vel maledicunt. Id fusè ac luculenter probatum habes *Art. 3.* ejusdem capituli, *Regulâ 7.* Sancti esse debent Sacerdotes, irreprehensibiles, sine crimine, ne sacrum in eis Ministerium vituperetur, siquidem ministri sunt Christi Pontificis Sancti, innocents, impolluti, à peccatoribus segregati. Ad id significandum sculpta erat hæc sententia in lamina aurea fronti summi Pontificis imminente in Lege veteri: *Sanctum Domino.* Et tintinnabula aurea per citevitum in ora tunicæ Sacerdotalis appensa erant, ut plus vitam quam linguam Sacerdotum clamare debere significaretur. Necessè enim est *Ut vitam vitam ipsa quoque exempla Sacerdotum clament:* Ne de ipsis dicatur: *Secundùm opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Si verò mali sunt Sacerdotes & Pastores, audiatur cum pietate & obedientia Evange-

Galat. 4. 19.

Exod. 28. 34.

S. Gregorius
Lib. 1. Epist.
24.

PARS I. FER. III. POST DOM. II. QUAD. 237
lium quod prædicant, non spectetur vita quam agunt.

Objicit quispiam dixisse Dominum, *Numquid colligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficus?* Respondet tibi Dominus: Non jussi te de spinis uvam legere: sed vide, attende bene, ne fortè, ut fieri solet, vitis quæ circum errat per terram, involuta sit in spinis. Nam aliquando invenimus illud, Fratres mei, vitem postam super caricem, quia ibi habet sepe spinosam, extendit palmites suos, & inserit in sepe spinosam, & pendet inter spinas botrus; & qui videt botrum carpit, non tamen de spinis, sed de vite, quæ circumplexa est spinis. Sic ergo illi spinosi sunt: sed sedendo in Cathedra Moy- si involvit eos vitis, & pendet ad eos botri, id est, verba bona, præcepta bona. Tu lege uvam, non te pungit spina, quando legis, *Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.* Pungit autem te spina, si quod faciunt, facis. Ut ergo legas uvam, & non inhercas spinis, *Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.* Facta ipsorum spinarum; verba ipsorum uva est, sed de vite, id est, de Cathedra Moy- si.

Sacerdotes interpretes sunt divinæ veritatis, & docere debent omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeant omnem hominem perfectum in Christo Jesu: Non adulterantes verbum Dei, *Sed ex sinceritate, & cor. 2.* sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo Jesu. In hujus rei figuram scriptum erat in Rationali, quod summus Sacerdos gerebat in pectore, *Doctrina & Evad. 27.* Veritas. Christiani diligere debent veritatem, & Doctores ac Prædicatores veritatis. Sed heu! sunt plurimi qui sanam doctrinam non sustinent, qui à veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur, quæ rentes commodos Directores, qui suis cupiditatibus blandiantur, qui non canant *tubâ Evangelicâ in Sion* ad terrorem, sed quasi, *Carmen musicum* suavi dulcique sono canant ad delectationem & voluptatem. *J. 27. Ex. 27.* Heu! quot in populo Christiano filii mendaces, filii no-

ce Matt. 23. 7.
ce S. August.
serm. 107.
ce Lib. 49. de
ce verb. Dom.

Coloss. 1. 28.

Evad. 27.

J. 27.
Ex. 27.

Isai. 58. 10.

lentes audire legem Dei, qui Pastoribus suis, & Prædicatoribus veritatis dicunt: *Nolite aspicere nobis ead quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferite à me viam, declinate à me semitam.*

1. Petri 3. 9.
& 4.

Lugendum est in Ecclesia malum, si Sacerdotes sancti non sint, si *Sicus populus, sic Sacerd s*: Sed pariter lugendum, si populus Christianus sanctus non sit, cum Christiani quilibet Sacerdotii Christi communi quadam ratione participes sint, & eo nomine Sancti esse debeant. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitioni, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum Et ipsi superedificamini tamquam lapides vivi, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Omnes ergo sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Sancti estote* (inquit Dominus) *quoniam ego Sanctus sum.* Christianos omnes univertim, Sacerdotes speciatim spectat hoc mandatum. Vera sit, non fucata sanctitas nostra, qualis erat illa Phariseorum. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.*

Matth. 23.

In Deum verum credentes, adoremus illum in spiritu & veritate. Caritatem servemus, quæ veræ religionis anima est: non aliis dominari queramus & præesse, sed prodesse & servire omnibus ut fratribus & condiscipulis. *Unus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis.* Humilitatem discamus, execrecamus, exemploque nostro ceteros doceamus, quam unus Magister noster Christus nos docuit: *Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Hæc non modo Sacerdotum, sed Christianæ plebis; hæc majorum, & minorum; hæc Pastorum & ovium; hæc Præpositorum & subditorum disciplina, omnibus imperata à Christo Jesu sanctimoniam.

FERIA IV. POST DOMINICAM II.
QUADRAGESIMÆ.

Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi, cum Filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? At illi: Dic ut sedent hi duo Filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram, in Regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Matth. 20.

Nulla periculoso ambitione pestis, quæ ubique grassatur, & omnis sexus, conditionis, & ætatis homines inficit & corrumpit. In Paradisum terrestrem irrepit, ibique deiecit Adamum; in Collegium Apostolorum penetravit, ibique Jacobum & Joannem invasit pauperes Piscatores, ut primas sedes honoris in Regno Christi, quod temporale futurum adhuc putabant, Mattis precibus obtinere conarentur. Matre Filiis instigantibus accedit ad Jesum, & pro ipsis postulat & rogat audacter & sollicitè, non quoscumque, sed summos honores, & tranquillam ac pacatam eorum fruitionem. *Dic ut sedent hi duo Filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Excusari utcumque potuit hoc Apostolorum peccatum, cum nondum Spiritum Sanctum accepissent; cum primas sedes desiderarent in Regno, in quo Christum existimabant temporaliter regnatorum; cum denique ambitionem, à Magistro suo damnatam nondum plene intellexissent. Nulla verò hujusmodi vobis suffragatur excusatio, si dignitates & honores ambiciose desideretis & queratis.

I. Ambitio quàm grave peccatum (Lib. 3. Thelog.

Dogmat. & Moral. Cap. 5. Art. 22.) Ambitio ignorantiae filia. *Nescitis quid petatis.* Ignoratis honorum vanitatem, ambitionis vilitatem, pericula summis dignitatibus & honoribus imminuentia, curas & labores ambitionis comites: ad Christi doctrinam & exemplum non attenditis. *Nescitis quid petatis.* Vide *Lib. 3. Theolog. Dogm. & Moral. Cap. 5. Art. 23.* Comes ambitionis praesumptio. Nemo pene summis honoribus aut dignitatibus se imparum existimat. Dicunt omnes, *Possumus*, tamen si Deo non vocati, tamen scientia, ceterisque dotibus, ac virtutibus ad dignitates illas sustinendas, & implenda officia destituti. Solius honoris & commodorum temporalium habetur ratio. Vide *Lib. 3. Theolog. Moral. Cap. mox indicato, Art. 24. Regulis 5. & 6.* Ad honores & dignitates Ecclesiae, & ad beneficia curam Animarum annexam habentia, promovendi digniores ab iis ad quos nominatio, electio, vel collatio pertinet. Si pro minus dignis postulerent, respondeant cum Christo, *Non est meum dare vobis.* Vide *Lib. 2. Theolog. Dogmat. & Moral. Tract. de Sacramento Ordinis, Cap. 6. Regulam 19.* Nulla carnis & sanguinis ratio habeatur. Si conflagrantes petant, aliique minus digni sint, respondeat, *Non est meum dare vobis.* (*Regula 20.*) *Quomodo nix in aestate, & pluvia in messe, sic indecens est stulto gloria.*

Prov. 26. 11.

II. Ceterorum hominum contemptus, simulatio, invidia, ambitionis filia. Majoribus invidet ambitiosus, aequalibus vult praeripere, omnibus praerimere. Audierant Jacobus & Joannes sedes honoris omnibus Apostolis à Christo Domino promissas. Cum sederet Filius hominis in sede Majestatis suae, sudebitis & vos super sedes judicantes duodecim tribus Israel. Satis illis non fuit communis cum reliquis conditio: pulis honos, omnibus praeripere voluerunt. *Dicite sedentibus duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus*

Matth. 19.

ad

FER. IV. POST DOM. II. QUAD. 241
ad sinistram in regno suo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Ambitionem fugiamus, fratres carissimi, humilitatem sectemur, quae & Deum promeretur, & humanam societatem connectit. *Si volumus commendare nos Deo, caritatem habeamus, unanimes simus, humilitatem sequamur, alterutrum existimantes superiorem sibi.* Haec est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget, & inferiorem se existimet. *Honore, invicem prevenientes* (inquit Apostolus) *non alta sapientes, sed humilibus consentientes, nolite esse prudentes apud vosmetipsos.*

S. Ambrosius
Lib. 2. de Officiis, Cap. 17.

Rom. 12.

Una dignitas Christiani desiderio digna, dignitas est filiorum Dei; una gloria par ejus votis, gloria aeterna. *Nihil appetere, nihil desiderare de saeculo potest, qui saeculo major est.* Ad hanc celsitudinem humilitate pervenitur. *Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum; & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Ad hanc gloriam per passiones & tribulationes hujus saeculi pervenitur. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Certissimum est Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Certum est, *Id quod in praesenti est momentaneum & leve tribulationis nostrae, supra modum aeternum gloriae pondus operari in nobis.*

S. Cyprian.
Epist. 11.

Matth. 23.

Act. 14. 11.

Q

FERIA V. POST DOMINICAM II.
QUADRAGESIMÆ.

Homo quidam erat dives, qui inducitur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, & erat quidam mendiculus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, & cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat. Factum est autem ut moreretur mendiculus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16.

AD terrorem, utinam & ad emendationem Divitum! ad solatium, utinam & ad sanctificationem pauperum! nihil est hodierna sancti Evangelii Lectioe convenientius & efficacius. Quantum Dives jam mutatus ab illo, qui opibus abundans, pretiosis & magnificis vestibus indutus, splendido curru ferebatur, numeroso stipatus famulorum satellitio, qui convivii operiparis quotidie indulgebat, cui nihil deerat ad sensum omnium voluptatem. Nunc in inferno sepultus, flammis & igne inexinguibili cruciatur, in tanta est bonorum omnium egestate, ut nec guttam aquæ ad linguam refrigerandam obtinere; in tanta desertione, ut uni Abrahamo, quem renuit imitari, & Lazaro pauperi, quem despexit, extremam suam miseriam explicare possit, & guttam ab eo postulare cogatur, cui micam negavit. Lazarus verò quantum mutatus ab illo, qui jacebat ad januam Divitis! Omnia corporalis vitæ subsidia in hoc mundo illi deerant: Omnium bonorum ubertate in sinu Abrahæ, in illo quietis & bea-

titudinis loco satiatur. Hic ab omnibus desertus & despectus erat: nunc ab Angelis honoratur, in eorumque societate Deo fruatur, torrente voluptatis potatur, æterna Veritate reficitur. O stupendas bonorum, malorumque, in Divite ac paupere vices! *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Hinc discite quàm periculosa sit æterna saluti divitum conditio. 1. Ob superbiam quæ ut plurimum efferuntur. Inducatur purpurâ & bysso. 2. Ob voluptates & delicias quibus indulgent. Epulabatur quotidie splendide. 3. Ob duritiam cordis in pauperes immisericordis. Et erat quidam mendiculus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, & nemo illi dabat.*

I. Radix malorum omnium cupiditas, sed superbiæ imprimis, luxûs, vitæque mollis & voluptariæ: necnon duritiæ in pauperes. Quamquam innocentes sint per se divitiæ, & non minus adjuncta virtutum, quàm incentiva criminum esse possint, magna tamen est vitii & divitiis affinitas. Vermis divitiarum superbia. Opes suas, claritatem suam, fortunam suam Deo vix unquam acceptas referunt divites terræ. Alii generis sui splendori, alii meritis suis, alii industriae, alii parentum laboribus aut felicitati abundantiam suam tribunt: vix ullus Deo bonorum omnium auctori gratias agit, *Et dixerunt, Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia... Fortitudo mea, & robor manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. Dei obliviscuntur, dicunt ei in abundantia suâ; Non serviam.* Alium quippe sibi Deum constituunt, opes suas, thesaurum suum. Hinc Avaritia verè ab Apostolo vocatur, *Simulacrorum servitus.* Spem suam in Deo non ponunt, quæ illum colendi ratio est, sed in divitiis suis. *Eccæ homo qui non posuit Deum adiutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua... Deum non colit dives iniquus,*

S. August.

Tertull. Lib. de cultu Fem. Retinacula sunt illa spei no. fita.

Tertull. Lib. de cultu Fem. Cap. 1.

Isa. 19.

244 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.
 sed loco Dei divitias. Hoc enim colitur, quod diligitur: Divitias autem præ Deo diligit. Pro nihilo si quidem ducit perdere Deum, ut acquirat nummum. Non dicit Deo, *Tuus sum ego*, & *Portio mea*, Domine, cujus portio sunt opes, quarum & ipse servus est. Vide Lib. 3. Theolog. Dogm. & Moral. Tract. De Peccatis, Cap. 6. Art. 1. n. 3. Divitum superbiam luxus prodit, & alit. Nusquam major in ædibus, in supellectili, in satellitio, in curiis, in vestibus & cultu, præsertim muliebri, magnificentia, nusquam pompa ambitiosior. Divitiarum magis habetur ratio, quam conditionum & dignitatum: De brevissimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inferitur. *Salus & insulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Ha sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantium uno & muliebri corpusculo bajulare. Magnifica & pretiosa supellex divitum, valorum aureorum & argenteorum copia, superbiam eorum nutriunt. Testis Isaias, qui Deum graves pœnas Ezechia Regi comminatum fuisse refert, quòd Regis Babylonii Legatis thesauros suos, & magnificam supellectilem superbè ostentasset. Quid viderunt in domo tua? (inquit Propheta) & dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt: non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem, non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Quos scilicet in admirationem miraculi, quod Deus in gratiam ejus ediderat, & in ejusdem veri Dei laudem convertere debuerat Ezechias, Babylonii Regis Oratores, eos ad supellectilis pretiosæ, thesaurorumque suorum admirationem convertit.*

II. Divitiarum satellites voluptatis. Pecunia obediunt omnia, voluptates omnes famulantur, Christianarum virtutum inimicæ. Voluptas Mulier illa circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus: Et in fronte ejus nomen scriptum: *Mysterium: de cuius vino fornicationis biberunt omnes gentes, & Reges terra cum illa fornicati sunt, ubi habitat, nisi in ædibus divitum: Ibi lautæ & quotidianæ epulæ, ludi, spectacula, penitentiarum, temperantiarum, castitatis inimicæ. Hæc fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & manum egeno & pauperi non porrigebant. . . . Sæculi voluptates in quas plerumque divites immerguntur, Dei oblivione inducunt. Incrassatus est, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, direliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. De voluptatibus illis divitibus Dominus ait: *Vae qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Jesepe. Talis erat dives ille Epulo. Et epulabatur quotidie splendide. Quis verò vitæ illius voluptatiæ exitus? Mortuus est & dives, & sepultus est in inferno. Unde Tertullianus: *Apud inferos, inquit, in divite convivio cruciantur, in paupere verò jejunia recreantur.***

III. Divites superbi & voluptarii cor durum & im-misericos habent in pauperes, oculos suos ab eis aver-tunt, viscera sua illis claudunt: cum omnia tribuant voluptati & cupiditati, negant omnia caritati. Rapina est de facultatibus suis pauperibus non impertiti. *Rapina pauperis in domo vestra. Duritia erga paupe-*

Ezech. 16. 19

Apoc. 17. 6

Ezech. 16. 49.

Deuter. 32. 49

Amos. 6. 1. 4.

Isa. de Jeju. 111.

Isa. 1. 74.

246 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.
res, causa damnationis divitum. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus . . . & nemo illi dabat.* Vide Lib. 3. Theolog. Dogmat. & Moral. Tract. de Peccatis, Cap. 6. Art. 6. Regulâ 5. Divites bonorum suorum temporalium supremum & independens dominium non habent; nec eis uti possunt ut libet, sed secundum voluntatem Dei, & leges ab ipso positas. Obnoxii sunt reddendæ rationi, ut œconomi & dispensatores. *Quemadmodum enim regalis ararii custos, si commissas sibi pecunias illis, quibus jussus est distribuere, impartiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates & delicias, plebitur & exanctioratur: ita vir dives se gerere debet adinstar Quæstoris cuiuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam possit sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissime plebendam esse noverit. Non enim ejus sunt que possides, sed conservorum quos egestas afflixerit.* Vide Lib. 3. Theol. Dogm. & Moral. Tract. de Peccatis, Cap. 6. Art. 10. & Regulâ 1. Difficillima igitur divitum salus, ut Christus Dominus pronuntiavit. Fidei veritas est. *Amen, amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum celorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acustransire, quam divitem intrare in regnum celorum.* &c. Et Apostolus: *Qui volunt divites fieri, inciidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, que mergunt homines in interitum & perditionem. . . Divitiis itaque hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

S. Chryso.
Caus. 1. de
Lazaro.

Matth. 19.
1. Tim. 6. 9.

FERIA VI. POST DOMINICAM II.
QUADRAGESIMÆ.

Crucior in hac flamma. LUC. 16.

Cum pauci sint inter homines, qui amore justitiae à peccato coercerantur, illos saltem cohibere voluit Christus timore peccatæ, quâ nulla gravior ac diuturnior cogitari potest. Ideo in hesterna S. Evangelii lectione Divitem Epulonem in inferno sepultum, bonis omnibus privatum, malis omnibus afflictum, sine fine cruciatum nobis ob oculos posuit. In hodierno verò Evangelio malos & crudeles agricolas qui servos patris-familias, partem cæciderant, partem occiderant, partem lapidaverant, & tandem filium ejus extra vineam ejectione interfecerant, extremis suppliciiis affectos commemorat. *Malos male perdes.* Tria consideranda sunt in penis damnatorum. 1. Separatio à Deo, quæ pœna damni nuncupatur. 2. Cruciatu ab igne, quæ pœna sensus appellatur. 3. Utriusque pœnæ æternitas. Reprobi à Deo per viam & necessariò separabuntur, quia spontè à Deo in hac vita recesserunt. Alligabuntur creaturæ crucianti, quia creaturis delectantibus in hoc mundo adhæserunt. Numquam carebunt supplicio, quia numquam voluerunt carere peccato. Vide Lib. 3. Theolog. Dogm. & Moral. Tract. de Peccatis, Cap. 3. n. 2.

I. Homines carnales & animales in hac vita non capiunt quantum sit malum à Deo separari. Similes sunt pueris rationis usu destituti, qui non intelligunt quàm grave malum sit occidat esse patre. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. In corpore velut in carcere degens, ignorantiae tenebris impeditur, ne lucis æternæ, quæ Deus est, bonum contempletur. Verùm

in momento separationis suæ, Anima ex oppanſo corporis erumpit in apertum, in illam puram, meram & suam lucem, videt quantum malum sit recessiſſe à Deo salutari suo, dereliquiſſe fontem aque viuæ, & fodisse sibi cisternas diſſipatas, qua continere non valant aquas. Quam crudelis sit æterna illa anima à Deo separatio, utcumque intelligeris, si cogiteris quàm misera sit conditio filii à patre exhereditati, sponsæ à sponſo repudiatæ, membri à capite & corpore diſſoluti. Deus illius hominis pater erat, cælum hereditas: ea priuatur ob contumacem inobedientiam, & horrendum ingrati animi vitium. Deus illius animæ sponſus erat, hanc tenerè diligebat, amplissimam illi contulerat dotem: à sponſo amantissimo recessit, fornicata est cum amatoribus multis; ideo cum æterna ignominia repudiatur, & ab honorificentissimo ac suauissimo fœdere penitus aliena pronuntiat. Christus illus Christiani caput erat, illum sibi ut membrum coniunxerat: sua culpa diſforme, diſortum, putridumque membrum factum est; propterea reſectatur & projicitur. *Voca nomen ejus, Non populus meus (ait Deus) Quia vos non populus meus & ego non ero vester.* Cùm Abſalom, post eadem fratris Ammon, mulieris Thecuite operâ reuocatus eſſet, ea lege ut faciem Davidis Regis non videret, *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat:* Post biennium miſit Joab ad Regem, dicens: *Obſecro ut videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis mea, interficiat me.* Reprobis faciem Dei videre frustra desiderabit, non videbit in æternum. Deum se amiſſiſſe culpâ suâ, ob momentaneas voluptates semper videbit; in hoc defixa erit ejus cogitatio totâ æternitate. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant semper...* Videbit se Deum amiſſiſſe absque ulla spe recuperationis. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabesceat: desiderium peccatorum peribit.* Peccator videbit, & irascetur: serâ illâ scilicet atque instructuosa

Oſeæ. 9.

Daniel. 22.

Pſalm. 111.

penitentia. Nam cui magis irascetur, quàm sibi, cùm dicit, *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum facultas quid contulit nobis?* Videns illum exaltari in gloria, qui Dei mandata implevit, qui diſperſit & dedit pauperibus, dentibus suis fremet & tabesceat: quia illic erit fetus & stridor dentium. Desiderium peccatorum peribit, nullo succedente solatio.

II. Pœnâ ignis & quidem veri, cruciari damnatos, fidei veritas est: *Cruciar in hac flammâ.* Quomodo crucientur, res humanæ rationi incomprehensa. *Ignis est æternus, & inextinguibilis; ignis urens, & reficiens, quo miseræ illæ divinæ ultionis victimæ salientur, ut conseruentur in pœnis.* *Omnis enim igne facietur, & omnis victima sale salietur.* Hac est secunda mors. *Et qui non est inuenimus scriptus in libro vite, missus est in stagnum ignis.* Ignis est Dei vindicis virtute ad cruciandos impios secundum animam, & corpus (cùm illud ad damnationis & miseræ cumulum reſumpſerit) applicatus. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* O quàm horrendum est incidere in manus Dei viuentis! *Omne tormentorum genus quolibet momento (si ita de æternitate loqui fas est) ab igne tartareo damnati patientur, quicquid exquisitior quæque tyrannorum crudelitas adinuenit unquam suppliciorum ut Martyres cruciaret; quicquid in omnibus morbis simul sumptis acerbis cogitari potest, quicquid in tormentis omnibus simul sumptis immanius & terribilius. Ideo locus & centrum tormentorum à Divite epulone appellatur. Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ignis est comburens tantum, non illuminans: in nocte enim æterna, in tenebris perpetuis erunt damnati. Dei omnipotentia flammam separat à luce ignis, ad supplicium impiorum, qui clauſerunt oculos ne lumen divinæ legis & gratiæ viderent. *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* Omnes animæ facultate

Sap. 1. 6.

Marc. 9.

Apoc. 20. 17.

Dante. 27. 22.

Hebr. 10. 27.

Pſalm. 118.

250 INSTITUT. CONCIONAT. PARS II.

tes, omnia corporis damnati membra ignis ille inquisitor scrutabitur, ut per que quis peccaverit, per hæc & puniatur; ut pro mensura delicti sit & plagatum modus; ut quantum peccavit & in deliciis fuit, tantum ei detur tormenti & luctus.

III. Cruciantur autem sine pœnarum remissione, nullus erit eis tormentorum finis. Vide *Theolog. Dogmat. & Moral. Lib. 3. Tract. de Peccatis, Cap. 3.* Deus mutari non potest, verbum ejus immobile est, odio semper habebit impium & impietatem ejus. Voluntas ejus non mutabitur ab infligendo supplicio, sicut nec reproborum voluntas convertetur umquam à peccato. *Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domus Israël, sed oblivione obliviscar eorum.* Non habebunt requiem die ac nocte: *Quærent mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

Cùm Israëlitarum viderunt Core, Datan & Abiron in pœnam schismatis & seditionis à terra absorptos, fugerunt horrore & timore correpti ac pene exanimati, *At verò omnis Israël qui stabat per gyrum: fugit ad clamorem peregrinatum, dicens, Ne forte & nos terra deglutiat.* Et nos timeamus, fugiamus ad Dei misericordiam. Timeamus, non ignem præcipuè & combustionem æternam, sed separationem sempiternam à Deo, privationem perpetuam visionis & amoris Dei. Lubricos & inhonestos amatores attendite; si quis amore semine lascivus & nequam vestit se aliter quàm illi placet. Illa dixerit, Nolo habere talem byrrhum; non habet: Si per hyemen illi dicat, In lacerna te amo, *Eligit tremere, quàm displicere.* Numquid illa cui displicet, damnata est? Numquid in carcere missura? Numquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, *Non te videbo:* hoc solum ibi contremiscitur, *Faciem meam non videbis...* Si hoc impudica dicit, & terret: Dea dicit, & non terret? *Sane plurimum, sed si amamus.* Si autem non

Apoc. 11.

Osee 1.

Apoc. 9. 6.

Num. 16. 14.

S. August. 22
Serm. 161. 23
aliù 16. de
Verbis A. 22
Poff. C. 10. 23

DOM. III. QUADRAG. 251

amamus, non inde terremur; sed terremur ut servi, *cc*
de igne, de gehenna, de atrocissimis tartareis minis, *cc*
de exaggeratissimis diaboli angelis, ejusque supplicis? *cc*
Vel inde terreamur. Si illud minus amamus, vel illa *cc*
timeamus,

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Jesus ejiciens demonium, & illud erat mutum: & cum ejecisset demonium, locutus est mutus, & admirate sunt turba.
LUC. IX. 14.

Lingua multorum bonorum & malorum fons & origo. *Mors & vita in manu lingua.* Id in hodierno Evangelio videmus. 1. Dæmon ligat linguam infelicis hominis, illumque mutum efficit, ne le peccatorem confiteatur, ac Deum laudet. 2. Dæmon solvit linguas quorundam ex Judæis ad blasphemandum & maledicendum Christo. *Quidam autem ex iis dixerunt: In Beelzebub principe demoniorum ejecit demonia.* 3. Spiritus Sanctus movet linguam piæ mulieris ad laudem Christi Jesu. *Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quadam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera qua suxisti.* Sic triplex est hominum linguâ bene vel malè utentium genus. Quidam tacent cum loquendum est, illi scilicet qui peccata sua non confitentur. Quidam aliter loquuntur quàm loquendum est, ut blasphemæ & maledici. Pauci loquuntur ut loquendum est, qui scilicet linguâ suâ utuntur ad laudem Dei & ædificationem proximi, nec in verbis offendunt, *Si quis in verbo non offendit, Jacobi 1. 22.* hic perfectus est vir. 1. Judæorum blasphemias execratur, & Christianorum blasphemantium longè gravius criamen; quia illi Christum mortalem vitam agen-

Prov. 11. 21.